



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv**

**Techo, Nicolas**

**Leodii, MDCLXXIII.**

Cap. 38. Apud Itatinenses duo oppida reædificantur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38528**

in alterâ montium parte populos lustrans, cognovit Ethnicos alios Religionis Christianæ & fundandi oppidi desiderio teneri, quos spe alens, & Sanctos Cosmam & Damianum in eorum Tutelares designans, per Viperarum flumen ad Ibicutum descendit. In itinere obvios habuit aliquot Barbaros horum fluminum accolas, oppidum sibi erigi & Sacerdotem concedi postulantes: sed quia oppida multiplicari vetabat raritas Sociorum, Barbaris suasit, ut se Japeiviensibus Neophytis, quod pedetentim fecere, adjungerent. Quaquâ transibat, Indos largè donabat, ita ut ex tot Catechumenorum Neophytorumque millibus nullus indonatus abierit. Mox reflexo per Urvaicam & Paranam itinere, ad Sanctæ Fidei urbem contendit. Post ejus discessum in Tapensium montium ultimo pæne angulo, Societas aliud oppidum sub finem anni condidit sacris JESU & MARIÆ nominibus dedicatum. Locus, in quo positum est, Ibiticarain vocabatur, quò tot coloni concurrerunt, ut primo foundationis anno quatuor mille capita censa sint, sub cura Petri Molæ, ob bonitatem indolis, & tractandorum Indorum peritiam, memorabilis. Infantes pro more statim baptizati, templum pro instruendis adultis ædificatum. Sic non toto biennio in Tapensi Provinciâ octo oppida ab Societate constructa, & loca alia aliis construendis designata, Guairaniæ jacturam, æquali fermè animarum præfenti lucro, & majori spe, compenfarunt.

**A**T in Itatinensem Provinciam ducentis leucis ab Tapensi distantem, post superioris anni populationem à Mamalucis factam, Paraquariæ Prætor duas Hispanorum cohortes in subsidium miserat: quæ, quòd abactis jam Indis serò venissent, & milites Indorum servitiis inhiarent, majori detrimento, quàm emolumento, fuere: nam ad Assumptionis urbem reduces, quòd liberiùs miserorum operis abuterentur, Prætori insinuavère, benè se facturum, si Itatinensium curam clericis, non religiosis, traderet. Et jam Prætor præpostero consilio assensurus erat, nî Franciscus Vasquius Provincialis intercessisset, grande reipublicæ damnum prænuncians, si Apostolicis progressibus se interponeret. Igitur Didacus Rançonierius, qui ad urbem Assumptionis venerat, cum amplâ potestate oppida condendi, ad suos Itatinenses cum Justo Vanfurkio & Nicolao Enartio opera Apostolica continuaturus rediit. Quorum hoc anno labor fuit, ex dispersis latronum metu populis, & reductione aliorum Barbarorum, duo oppida erigere: primum ad Tepotium flumen positum, Justo Vanfurkii curæ traditum est: aliud centesimo ab Assumptionis urbe lapide non procul Paraquario, Didaci Rançonierii & Nicolai Enartii industriâ surrexit: quorum difficultates in recolligendis Barbaris, in fame tolerandâ, in ædificandis templis, & domibus, quia omnibus missionariis nostris communes sunt, dicere supersedeo. Evangelicis profectibus mirum quantum offecerit Viri in dignitate positi imprudens dictum, qui Itatinensi Casiquio ad se venienti, jocône, an serio? cum asseruisset Itatinenses omnes Hispanis aliquando servituros, ab nostris tanquam servitiorum prodromis absterruit. Quamquam pedetentim obstaculum illud amotum est, impetratis ab Rege Catholico litteris, quibus Neophytos nostros per Evangelium reductos ab servitiis privatorum eximens, sibi immediatè tributarios faciebat. Rançonierii oppido non parum incommodavit rumor ab ipsis Pataguis temerè sparsus, ubique asserentibus, Hispanos Paraquarienses, in Pataguas & Itatinenses infesta arma moliri. Quæ res ita perturbavit Indos nostræ curæ subditos, ut quadringenti, duce Nianduabusuvio seniore, transmissis Paraquario, ad montes latissimè protensos, & nostris excursoribus eâ occasione destinatos, transfugerent, quorum plerique ad ovile Christi Pastorum suorum fideli operâ sequenti anno redière.

**S**UB finem anni Provincialis Vasquius Româ litteras recepit, quibus alteri Provincie præfecturam tradere jubebatur. Hanc ipse quinquennio administravit vario rerum successu, nam sub ipso undecim Guairaniæ oppida destructa: ad Paranam Acaraiensis sedes expuncta, Iguasuana metu belli traducta, Urvaicenses & Paranenses Neophyti repetitâ lue diminuti, Chaquensis provincia bis frustra

*Sanctorum  
Cosma &  
Damiani  
oppidi desig-  
natio.*

*FESTU-  
Marianum op-  
pidum con-  
ditur.*

*Quater mil-  
le capita re-  
ducuntur.*

**CAPUT  
XXXVIII.**  
Apud Itati-  
nenses duo  
oppida re-  
ædifican-  
tur.

*Rex Catho-  
licus Indis  
favet.*

**CAPUT  
XXXIX.**  
Status Pro-  
vinciæ sub  
Francisco  
Vasquio  
Provincia-  
li.